

Magnam in Ecclesia semper extitisse *Symbolorum* autoritatem, inter Ecclesiae verae genuinos cives nunquam in confesso non fuit. Extant antiquissima *Symbolorum* encomia, vel elogia, passim apud *Patres*, nec diversum ab his recentiores *Ecclesiae Doctores* tenuerunt. *Symbole* sunt *Ecclesiae Confessiones*: *Ecclesiae* membra qui sunt, *Confessiones* *Ecclesiae*, doctrinaeque consensum publicum, in *symbolis* traditum, grata mente suscipiunt. Quotquot a *Novatorum Symbolorum* autoritatem vel dubiam, vel nullam efficere praesumunt, certe graviter in Ecclesiam non tantum & *symbolicum doctrinae consensum*, sed in ipsam etiam *doctrinam*, publicis *symbolis* comprehensam, illi delinquent. Facile proinde comparet, qualis Ecclesiae Doctor sit *D. Dreier*. qui suam de *Syncretismo* publicam *Orationem*, sub *Rektoratus* abdicatione *Domin.* *Quasimod.* Anno 1661. sine publicorum *Ecclesiae Symbolorum* traductione recitare noluit inquit. *Ubi sunt isti libri Symbolici recepti? Num apud Gracos? Num apud Armenos? Num apud Aethiopes? Num apud Indos? Num apud Russos & Moscos? Num apud Pontificios? Num apud Reformatos? Quod si ergo omnia, quae in libris istis continentur, ad conservandam Ecclesiam sunt necessaria, ut sine iis Ecclesia consistere non possit, sequitur, quod Ecclesia in toto terrarum orbe interierit, & in parte Lutherana sola remanserit. Salvete Novatiani, salvete Donatista, salvete Luciferiani, salvete Schismatici, salvete Heretici! Nos Ecclesiasticis *Symbole* nec primam, nec ultimam autoritatem tribuimus, mediam tamen iisdem eripere non debemus. Ecclesiam non *symbole*, sed *scripta* tum *Prophetica*, tum *Apostolica*, juxta *Paulum*, aedificant *Eph. II. 20.* Ecclesiam quoque *Verbum Dei* conservat, nec absoluta requiritur *Symbolorum* in Ecclesia necessitas. *Contra D. Dreierum* tamen, aliosque *Pacis Ecclesiasticae* turbatores, & doctrinae sincerioris corruptores, omnino *symbole* sunt necessaria. *Symbole* opus est, ut orthodoxi *Confessores* inter se mutuò cognoscantur, & à quibusvis tum *apertis hereticis*, tum *falsis fratribus*, doctrinae consensum vel prorsus negantibus, vel *Syncretisticis* studiis labefactantibus, accuratè per talia *Doctrinae**